15

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

SISTENS

CASUM
ASTHMATIS SANGUINEO-SPASMODICI,

Quam

AUSPICE DEO PROPITIO

Et Consensu atque Auctoritate Gratiosæ Facultatis Medicæ,

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.

DECANO SUO SPECTATISSIMO,

Domino Patrono ac Promotore suo omni honoris cultu prosequendo,

PRO LICENTIA

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQUE CONSUETIS

ANNO MDCCXXXI. D. SEPT.

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET

AUCTOR RESPONDENS

JOHANNES FRIDERICUS CARTHEUSER,

HEINA-STOLBERGENSIS.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,

TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.



PROOEMIUM.

HAud levi quorundam Medicorum ignorantia, atque perversa medendi methodo, multos ægrotantes, (quorum restitutio si rationalis atque prudens Cura accessisset, speranda adhuc fuisset) vel in morbos gravissimos & incurabiles conjici, vel plane extingui & præmature amandari ad sepulchra, consentiente Experientia, nec non multorum prudentum suffragio, verissimum est. In specie autem in morbis gravioribus eorundem detegitur ignorantia, uti in hoc adserto magnum *Hippocratem in Libro de Prisca* Medicina habeo consentientem, quando inquit: Medicorum „ plerique malorum navium gubernatorum mihi vi- „ dentur simillimi, qui si tranquillo mari navem re- „ gunt, nemo eos peccare deprehendit: Quod si ve- „ ro eos ventus vehemens aut tempestas oppresserit, „ jam omnibus manifeste constat, eorum imperitia & „

culpa navem fuisse perditam.,, Ad confirmanda ulterius pauca hæc præmissa historiam Casus morbi asthmatici subjungere placuit, in quo insignem quoque errorem medicum aut verius empiricum commissum fuisse, ex penitiori hujus morbi indolis consideratione, & causarum differentia cognitum erit facillimum; in perversa enim hujus casus æstimatione & tractatione, hunc affectum Asthma pituitosum non distinctum fuisse a Sanguineo-Spasmodico exhibita ægrotanti medicamenta commonstrant. Siquidem hisce remediis causæ adauctæ, plura ac periculosiora Symptomata provocata fuere, atque inde plus detrimenti, quam adjumenti ortum, licet hic morbus per se neque inter incurabiles, neque gravissimos referendus sit. Pro Dissertationis Inauguralis igitur argumento, cum quoddam mihi eligendum esset, *Asthma Sanguineo-Spasmodicum*, cujus exemplum casus statim subjunctus exhibet, sumere placuit, idemque præmisso prius casu, pro virium mearum tenuitate, pathologice ac therapevtice, eo, quo fieri poterit ordine pertractabo, evitando nimiam prolixitatem, & superfluam opinionum circa hujus morbi genesin & curationem variorum Autorum allegationem, ne ex solis autorum & opinionum eorundem allegationibus, tota ut sæpissime fieri solet enata videatur Dissertatio; Cognitum mihi præterea optime est, ex me hic non quæri, quid sentiant alii, sed quid ipse. Sed cum omnibus perfecte satisfacere virium debilitas haud permittat, placidum a Lectore Benevolo mihi expeto judicium. De cætero

sum-

ſummum ac benigniſſimum Numen ſupplex veneror, ut labori præſenti ſuo adſit auxilio, & hiſce atque futuris benedicat conatibus, eosque ſemper dirigat in ſui gloriam & proximi emolumentum.

HISTORIA CASUS.

JUvenis 20. annorum Temperamenti Melancholico-Sanguinei, habitus corporis mediocris, lautiori victui deditus molimina ad narium hæmorrhagiam ſæpius quidem, ſed perfectam excretionem nunquam expertus, & frequentibus proinde cephalalgiis obnoxius, corripitur conſtrictione quadam in pectore, cum aliquali intus gravitatis ſenſu & ſpirandi difficultate. Symptomata hæc ſemper veſperi, poſtquam lectum ingreſſus eſſet incrementa capiebant, & aliqualis paulo poſt accedebat tuſſicula in principio ſicca, poſt aliquot dies vero paululum humida, ſiquidem paucum ſubinde excernebatur viſcidum. Prædictis hiſce jungebatur dolor quidam obtuſus gravativus in capite & ſtupiditas, dejectio appetitus & totius corporis laſſitudo, atque quælibet hæc Symptomata in ſpecie tuſſis cum ſpirandi difficultate, ut jam dictum, noctu urgebant, ut patienti etiam omnem fere eriperent ſomnum, licet ad capiendum eundem valdopere inclinaret. Cujusdam itaque Medici conſilium & auxilium poſtulavit ægrotans. Hic adhibuit pectoralia reſolventia calidiora, in ſpecie Eſſ. Lignor. cum Spiritu Salis ammoniaci aniſat. mixtam, pituitam viſcidam ac tenacem in

pulmonibus collectam, ut putabat, resoluturus. Quorum usui subinde interponebat Laxantia, sed sine fructu; prædicta enim Symptomata in dies magis magisque increscebant, adeo ut vix respirare posset, cum sonitu, nec non gravitate in pectore insigniter aucta, accedebant quoque subinde tinnitus aurium, spasmodicæ constrictiones in abdomine, & sinistro potissimum hypochondrio, Dysuria, & mictus sanguineus. Medicus alius suasit VSectionem, sed patiens eandem admittere recusavit, haud necessariam illam esse autumans, imprimis cum prior Medicus, cujus scientiæ (vel potius dicam ignorantiæ) patiens multum fidit ejusdem erroneæ cum illo sit sententiæ. Hujus casus igitur explanationem, & in genere Asthmatis Sanguineo-Spasmodici evolutionem in sequentibus suscipere placuit. §. §.

§. I.

Respiratio actio existit ad perpetuandum sanguinis circulum, atque vitam continuandam, quippe quæ ex parte a continuo nec interrupto fluidorum dependet circulo, summe necessaria; siquidem usum ejus vel plane interceptum, vel graviter tamen læsum, mors aut cursus fluidorum ac sanitatis insignes subsequuntur perturbationes.

§. II.

Composita potissimum est respiratio ex Inspiratione & Exspiratione. In priori aer pulmones ingressus per asperam arteriam bronchiorum ramulos in vesiculas desinentes pervadit, easdemque adeo in momento expandit,

ut thorax attolli, & Diaphragma versus inferiora descendere cogatur. Hanc autem vesicularum expansionem semper vasculorum sanguiferorum pulmones undique perreptantium atque bronchia concomitantium sequitur compressio, ut sanguis ideo e dextro cordis ventriculo per arteriam pulmonalem in duos primo ramos majores, deinceps vero in ramulos minores fere innumeros distributam advectus subtilissima quoque venæ pulmonalis vascula cum extremis arteriæ ramificationibus per anastomosin connexa rursus intrare & successive in ramos majores collectus necessario remeare debeat in sinistrum cordis ventriculum. Certissimum enim est, auctum vesicularum pulmonalium diametrum vasorum sanguiferorum diametrum semper reddere minorem.

§. III.

Quælibet autem actio præsupponit Causam, Instrumenta & Effectus, hinc sine iisdem respirationem fieri posse, haud quisquam quoque adfirmabit. Paucis itaque eadem lustrare placet, ut vitia circa respirationem obvenientia in sequentibus melius cognoscantur atque facilius; Rectum enim juxta vulgatum axioma semper est norma obliqui.

§. IV.

Pro Causa autem tam Exspirationis quam Inspirationis solum agnosco aerem specifica præditum gravitate & elatere insigni. *Vid. Boyl. Tract. de Elat. aeris.* Pulmonum in Inspiratione expansionem præstat, dum vesiculas ingressus pulmonales vasorum sanguiferorum, & aeris ac fluidorum in illis contentorum resistentiam ob gravitatem & elasticitatem insignem superando vesi-

culas

culas expandit & fluida in vasis versus cordis musculum propellit, sed cum de novo sanguis crassior itidem tamen ob aerem quo impraegnatus est, praeditus elatere (*Vid. Exc. D. D. Teichmeieri Diss. de Elatere Sanguinis*) per arteriam ex dextro cordis ventriculo magna vehementia infundatur in ramulos minores vesiculas concomitantes & ambientes rursus ab eodem aer in vesiculis ob nimiam rarefactionem debilitatus vincitur, atque e pulmonibus in exspiratione exire cogitur. Hisce accedit, quod aer ambiens externus semper in pulmonum cavitatem ingredi nitatur, & aer internus in pulmonum vesiculis ob calorem nimis elasticus, & levior quoque proinde redditus novo irruenti ac graviori cedere & sic per consequens egredi iterum teneatur. Siquidem ab ultima hac ratione totam exspirationem dependere arbitratur *Baglivius Lib. de Static. aeris & Liquidor. p. 452. in Operibus*. Ibi enim inquit: „Cum igitur centrum „gravitatis duorum liquidorum aequalis molis, sed diversi „ponderis sit in parte, quae gravior est, necessario con„sequi debet, ut aer externus qui gravior est interno ex „ante dictis mechanica vi ac necessitate, & nobis nec ad„vertentibus primus ingrediatur in pulmones, forisque „extrudat internum minus gravem, minusque resisten„tem. Sicque mutuae inspirationis exspirationisque vi„ces absolvantur, atque adeo thoracem cum partibus vi„cinis instrumenta tantummodo esse, non Causam re„spirationis. Positam hanc Baglivii causam neque rejicimus quidem, neque solam admittimus, sed alternanti quoque inaequalitati virium resistentiae & pressionis aeris in liquidis vasorum contenti & ab extra vesiculas intrantis

ex-

exſpirationis & inſpirationis cauſam inſimul tribuendam eſſe cenſeo; ſiquidem frequenti conſtat experientia per curſum citatiorem & febres ardentes ob auctum in hiſce fluidorum, potiſſimum autem ſanguinis elaterem & curſus velocitatem, æquilibrium inter aerem internum in ſanguine & externum in veſiculis turbari, atque exſpirationem ſuperare inſpirationem magnitudine & velocitate quoque, ſi alias ultimum hoc poſſibile eſſet, & exſpiratio ſine prægreſſa fieri poſſet inſpiratione. Quamdiu itaque perfectum ac naturale adeſt inter aerem externum, & internum in ſanguine æquilibrium, tamdiu reſpiratio naturaliter & ex voto ſuccedit, & vice verſa.

§. V.

A Cauſæ luſtratione progredior ad Inſtrumentorum conſiderationem; ſed ne locus materiæ primario ventilandæ deſtinatus præripiatur, breviter ſaltem ad eadem pulmones potiſſimum, muſculos intercoſtales pectoris, quosdam abdominis atque diaphragma cum thorace ſpectare adfirmo, quæ ſingula ob conſtructionem, diſpoſitionem atque connexionem mechanicam reſpirationis officio inſerviunt, & eo quidem modo ac ordine, ut expanſis in inſpiratione pulmonibus cedant, iisdemque affectatum ac neceſſarium concedant ſpatium. Siquidem diaphragma verſus inferiora deſcendit, thorax contra per muſculos intercoſtales attollitur; Pulmonibus vero in exſpiratione rurſus collapſis priſtina occupant loca, diaphragma rurſus adſcendit, & thorax per alteram muſculorum intercoſtalium ſeriem & quosdam abdominis &c. iterum detrahitur, ita ut exinde pateat evidentiſſime, prædicta organa inſtrumentorum ſaltem non cauſarum vero

ſubire vices, quæ actioni inſerviunt primariæ & ad facilitandam iſtam conferunt. Quælibet hæc adſerta multis probari poſſent rationibus & experimentis, ſi inſtituti ratio id permitteret, interim tamen alio tempore hanc materiam Deo annuente uberius pertractandam mihi reſervo.

§. VI.

Reſpirationis denique uſum multiplicem eſſe nulli involuitur dubio, ſed primarios tantummodo ejusdem uſus recenſere ſufficiet, quorum primus & primarius ſanguinis exiſtit promotio: Ceſſante hinc reſpiratione in hominibus natis, paulo poſt etiam ceſſat ac ſiſtitur circulus ſanguinis. Conſuetæ enim non tantummodo circulationis viæ præcluduntur, ſed ſolum etiam cor tantæ fluidorum moli circumpellendæ haud ſufficit. Alterum primarium uſum conſiſtere arbitror in debita atque intimiori particularum, & elementorum ſanguinis miſcela, combinatione, & ſanguinis per venas redeuntis nova ſubtiliſatione; tota enim ſanguinis moles ex corpore univerſo per venam cavam reducta, & per arteriam pulmonalem deinceps pulmonibus infuſa craſſa atque coloris obſcuri obſervatur, ex illis vero per venam rediens ad ſiniſtrum cordis ventriculum, fluidior ac floridior rurſus exiſtit, hinc pulmones in hoc puncto preli vices ſubire haud inepte dicendum eſt. Quod ſi vero actio hujus organi turbetur, ut prædicti proinde ab eodem præſtari nequeant uſus, inſignes in corpore & in fluidorum potiſſimum circulo oboriuntur perturbationes atque noxæ, quarum quædam primo intuitu minime exinde pendere videntur, cum tamen revera a tur-

bato

bato reſpirationis negotio dependent. Siquidem caſus mihi notus eſt de puero 13. annorum, cujus nares craſſo ac viſcido conſtanter obſtructæ erant muco, ita ut difficillime ſemper & aperto ore reſpirare cogeretur. Narium hæc obſtructio poſtquam ad tempus duraverat, puer præter inſignem capitis gravitatem ac ſtupiditatem inſigni manuum ac pedum corripiebatur tumore. Varia licet remedia contra hanc intumeſcentiam adhiberentur, nihil tamen efficiebant, prædictus enim tumor conſtanter durabat, & quotidie capiebat incrementa, ut metus etiam eſſet, ne ſucceſſive abdomen traheretur in conſenſum. Quare ab alio Medico ſagaciori re paulo accuratius penſitata præter interna externa quoque Errhina nimirum naribus applicata fuerunt, ut ſucceſſive ideo narium obſtructio reſerata aeri liberiorem iterum ingreſſum & egreſſum concederet. Quo facto paulo poſt pedes & manus detumeſcere iterum cœperunt perfecte. Sed poſt ſemeſtre ſpatium tempore hyemali de novo patientis nares viſcido muco obſtruebantur; quæ obſtructio cum iterum ad tempus duraſſet, manus & pedes denuo intumeſcere cœperunt. Idem igitur Medicus rurſus advocatus priora adhibebat remedia, & primario de reſeranda narium obſtructione, & reſpirationis libertate reſtituenda ſolicitus erat, & voti ſui compos factus cum admiratione pedum & manuum tumorem iterum evaneſcere videbat cum perfecta ſanitatis reſtitutione. Similem Caſum jam laudatus *Baglivius Tract. de Statice aeris & Liqu.* recenſet de Cauſidico, qui cum ob polypum naſi difficulter reſpiraret, itidem ſucceſſive abdominis & pedum tumorem incurrebat, ſed extirpa-

to eodem & reſtituta libera reſpiratione ventris tumore liberabatur. Ex hiſce itaque patet luculentiſſime, quantum ſanitatis momentum in libera reſpiratione conſiſtat.

§. VII.

Reliquos reſpirationis uſus, qui loquelam, meliorem perceptionem odorum, Chymificationem, Chyli promotionem ad ſanguinem &c. concernunt, lubens prætermitto, cum ad ſubſequentem tractationem de Aſthmate Sanguineo-Spasmodico parum conferre videantur.

§. VIII.

Hiſce itaque præmiſſis progredior ad primariæ hujus Diſſertationis materiæ tractationem nimirum ad *Aſthma Sanguineo-Spaſmodicum*, quod ſpeciminis inauguralis loco evolvendum ſuſcepi. Sed hujus evolutionem mihi inchoaturo ordini videtur convenientiſſimum, de conſuetis hujus morbi appellationibus explicationis facere principium; ſiquidem juxta Ariſtotelem: Nominum Inquiſitio audit initium doctrinæ. Nimis diu tamen vocum derivationi inhærere, earundemque origines prolixius eruere neque utile, neque neceſſarium hoc loco cenſeo. Dicitur autem hic morbus communiſſime Aſthma ab ἀσθμάζειν anhelare, quoniam reſpiratio cum ſonoro fit anhelitu, hinc etiam apud Latinos audit Anhelatio. A *Seneca* nuncupatur quoque Suſpirium, quando *Epiſt. 54.* ita de eodem diſſerit: „Uni tamen morbo aſſignatus „ſum, quem quare græco nomine appellem neſcio ſa„tis enim apte ſuſpirium dici poteſt. Brevis autem „valde ac procellæ ſimilis morbus eſt, intra horam fere

„de-

„ desinit. Quis enim diu exspirat? Omnia corporis „ aut incommoda aut pericula per me transierunt: nul- „ lum mihi videtur molestius. Quidni? aliud enim „ quidquid est, ægrotare est: hoc est animam agere. „ Itaque Medici hanc Meditationem mortis vocant. Germanice dicitur der Dampf, it. Engebrüstigkeit. &c.

§. IX.

Variæ autem in Praxi observantur & in scholis medicis explicantur Asthmatum species, quæ partim a causæ, partim a partis primario affectæ diversitate diversas accepere cognominationes. Hinc in genere Asthma distinguitur in Humidum & Siccum. Humidum seu Pituitosum nuncupatur, quod materiam quandam viscidam bronchos obsidentem & obstruentem præsupponit, atque cum materiæ ejusmodi vel majori vel minori excretione coniunctum est. Siccum vero audit, quod sine ulla materiæ præsentia in bronchis hærente, constrictiones & coarctationes eorundem & difficilem per consequens inspirationem præstat. Ad duo hæc genera variæ adhuc aliæ spectant Asthmatis species tam Essentiales, quam Consensuales, nimirum Asthma præcordiale s. Stomachicum, Flatulentum, Asthma Hystericum, Hypochondriacum, Cachecticum, Montanum s. metallarium, & in specie ad siccum pertinet Asthma Spasmodicum vulgo Convulsivum dictum, cujus indolis illud quodammodo est, quod in præsenti pertractandum elegi & Asthma nuncupo Sanguineo-Spasmodicum, h. e. tale, quod solummodo a sanguinis vitiis & constrictionibus spasticis ab eodem vitio quodam laborante productis consurgere solet. Hoc autem definio, quod sit, Respiratio insigniter in

inſpiratione læſa, frequens & anheloſa, cum ſonitu, ſibilo & aliquali ſubinde tuſſicula conjuncta, a bronchiorum & veſicularum pulmonalium coarctatione, a ſanguine & ſpaſtica ut plurimum fibrarum conſtrictione producta, dependens.

§. X.

Quælibet in data definitione genuinæ definitionis requiſita adeſſe arbitror. Generis enim loco poſui Reſpirationem Læſam, atque ut diſtinguatur ab aliis reſpirationis vitiis, læſa potiſſ. dicta fuit in inſpiratione. Sed cum variæ etiam in inſpiratione contingere ſolent læſiones, ſpecificam adjeci differentiam, quam ſignant additum ſymptoma proprium ac ſpecificum nimirum ſtrepitus ſonorus ac ſibilus, nec non cauſa mediata & immediata, bronchiorum nimirum & veſicularum pulmonalium coarctatio a ſanguine vitioſo ſpaſtica utplurimum mediante conſtrictione producta. Majoris quoque perſpicuitatis ergo non omiſſum eſt ſubjectum morbi pulmones nimirum cum bronchis & veſiculis ſuis, quæ alias libere ab irruente expanduntur aere, præſente vero hoc malo, debitam nequaquam conſequuntur expanſionem.

§. XI.

Ex hiſce hinc facillime pateſcit, quænam corporis pars pro morbi hujus ſubjecto primario habenda ſit. Pulmones enim cum veſiculis ſuis membranaceis & bronchis hanc pati dicuntur coarctationem, hinc neceſſario etiam hujus morbi ſubjectum eſſentiale conſtituere debent. Plura autem de illis dicere & actum agere diſplicet; in præcedentibus enim jam ſufficienter de illis,

eo-

eorundemque munere naturali dictum eſſe arbitror. Progredior igitur ad tradendam hujus morbi hiſtoriam, ut deinceps ex rationali ſymptomatum conſideratione cauſas eo melius ac certius eruere valeam.

§. XII.

Invadit hoc malum utplurimum ſubjecta plethorica, prædita Temperamento vel ſanguineo, vel ſanguineo-cholerico, vel ſanguineo-melancholico, in ætate juvenili ac vegeta virili præc. conſtituta, lautiori victui atque otio dedita, ſexus quidem utriusque frequentius tamen ſequioris, periodicis adſueta ſanguinis evacuationibus tam naturalibus v. g. per hæmorrhagiam narium, menſes & hæmorrhoides, quam artificialibus v. g. per Vſectionem, ſcarificationes &c. In principio affecti perſentiunt plerumque laſſitudinem in toto corpore potiſſ. artubus, dolorem capitis gravativum & obtuſum cum ſtupiditate, facies rubore utplurimum ſuffuſa & tumida apparet, venæ turgent, tenſivi quoque ſæpiſſime perſentiuntur dolores in ſpina dorſi, lumbis, hypochondriis, & pectore, tandem inſignior accedit in pectore gravitas cum reſpiratione difficili & majoribus ſpaſticis pectoris conſtrictionibus, vel ſaltem per intervalla redeuntibus, vel diutius interdum & ſine intermiſſione adfligentibus; malo aucto adeo frequens & anheloſa redditur reſpiratio, ut ſpiritum vix trahere valeant, cum ſonitu ac ſibilo, (qui tam ab ægro, quam ab ipſis etiam percipitur adſtantibus,) in noſtra ſpecie tamen mitiori, ſicca jungitur tuſſicula, quædam tamen ſubinde etiam viſcida excernitur materia micis ac ſtriis ſanguineis quandoque notata. Noctu in lecto imprimis hæc ſympto-

ptomata urgent, ut patiens ſæpiſſime præ tuſſis frequentia, angore in pectore, & ſuffocationis metu per integram noctem nullum capere queat ſomnum, licet ſomnolentiam perſentiat inſignem. Inſigniter quoque ſpirandi augetur difficultas, ſi fortiorem ineant corporis motum, vel loca petant accliviora. Pectoris conſtrictionibus frequentiſſime & aliarum partium ſtricturæ præternaturales junguntur v. g. hypochondriorum, uteri in fœminis, abdominis &c. Pulſus varius eſt, modo languidus modo citatior, ſemper tamen fere inæqualis. Creſcente malo appetitus dejicitur, tinnitus aurium in certis caſibus ac ſubjectis dyſuria imo mictus cruentus, hæmoptyſis, vomitus cruentus, pavores nocturni, & incubus quandoque, aliaque mala accedunt & complicantur. Tranſit quoque interdum in peripneumoniam, pleuritidem, apoplexiam ſanguineam &c. Menſes, hæmorrhoides & narium hæmorrhagiæ legitime & opportune ſupervenientes hunc adfectum vel plane ſolvunt, vel tamen reddunt mitiorem. Melius quoque ſeſe habent aſthmatici aere temperato, quam calido & frigido. In demortuis pulmones plerumque inflammati, ſanguine turgeſcentes & nigris maculis notati deprehenduntur, interdum quoque ſanguis extra-vaſatus & materia purulenta in pectoris cavitate, nec non polypoſæ concretiones in vaſis pulmonum reperiuntur.

§. XIII.

Diſtinguitur autem ab aliis læſæ Inſpirationis ſpeciebus, & quidem primo a Dyſpnœa, quæ itidem difficilem quidem notat inſpirandi difficultatem, cum vel ſine tuſſi, minorem tamen innuit gradum, & ſine ſonitu

con-

contingit ſuſpirioſo; in aſthmate vero multo gravior adeſt ſpirandi difficultas cum ſtrepitu quodam ſonoro conjuncta, qui tam ab ipſo ægrotante, quam ab adſtantibus auditur, hinc etiam verſiculus: Dyſpnœa ſe celat, canit aſthma, malumque revelat. Diſtinguitur porro ab Orthopnœa, quæ major adhuc ſpirandi difficultatis gradus eſt, ita ut affectus frigidum ſemper captet aerem, & erecta ſolummodo cervice reſpirare cogatur. Diſtinguitur denique a Catarrho ſuffocativo, qui ſummum difficilis inſpirationis gradum conſtituit, & præſentaneam, niſi citata adferatur medela, minatur ſuffocationem &c.

§. XIV.

Ab explanata hiſtorica hujus morbi facie & ſymptomatum recenſione tractationis ordine nunc devolvor ad evolutionem cauſarum. Pro cauſa immediata autem adfectus hic aſthmaticus ſanguineo - ſpaſmodicus agnoſcit præternaturalem bronchiorum & veſicularum pulmonalium coarctationem, quam neceſſario læſa ſubſequi debet inſpiratio; aer enim bronchos & veſiculas membranaceas coanguſtatas neque ſufficienter ingredi, neque ob reſiſtentiam majorem ſatis expandere valet, & ob ſublatum æquilibrium ſolito hinc citius expellitur, unde fit ut frequens atque citata neceſſario reddatur reſpiratio.

§. XV.

Sed cum aeris denegatus liberior in pulmones ingreſſus & bronchiorum atque veſicularum coarctatio neceſſario ſupponat obſtaculum ſive cauſam quandam mediatam proximiorem, quæ prædictam efficiat, quamobrem de eadem quoque mihi cogitandum erit. Penſita-

tis itaque quibusvis in hoc morbo circumſtantiis, duplicem iſtam eſſe arbitror, alteram Formalem, alteram vero Materialem. Formalem conſtituit ſpaſtica fibrarum in pulmonibus ſtrictura a fluidorum per pulmonum vaſcula currentium vel copia præternaturali ac ſtaſi, vel acrimonia irritante, vel irregulari fluxu producta. Cauſæ materialis nomine hinc in noſtro affectu ſolus venit ſanguis, qui triplici modo vitioſus redditus ſpaſticæ huic fibrarum ſtricturæ, & viarum aeriferarum coanguſtationi producendæ idoneus exiſtit. Primum & primarium ſanguinis vitium in excedente ejusdem quantitate fundamentum habet; ſiquidem nimia ejus quantitas vaſa pulmonum ſanguifera præter modum expandens non tantummodo bronchiorum atque veſicularum contiguarum coarctationem præſtat: Quantum enim vaſorum ſanguiferorum diametro accedit, tantum bronchiorum & veſicularum diametro neceſſario decedere rationi conſonum eſt & experientiæ; ſed naturale etiam tollit æquilibrium inter aerem internum in ſanguine & externum in bronchis, qui poſterior ab extra pulmones ingreſſus, membranaceas veſiculas expandere atque vaſa ſanguifera debite comprimere debet, ut ſanguis verſus ſiniſtrum cordis ventriculum propellatur, vaſa hinc ſolito validius aeri irruenti reſiſtunt, ut idem proinde preſſione ſua earundem ſuperare nequeat reſiſtentiam. Sanguis præterea exſuperans cum in toto pulmone ſolidorum vincat reſiſtentiam, inſignes etiam efficit diſtenſiones, ſtaſes & ſpasmodicas fibrarum ſtricturas, ſiquidem juxta Hipp. Aphoriſ. 39. Lib. 6. ſpaſmus naſcitur vel a plenitudine, vel ab inanitione. Spasmo autem præſente aliter fieri haud

pot-

poteſt, quia bronchiorum & veſicularum conſtrictiones, coarctationes, & læſa per conſequens inſpiratio ſubſequantur.

§. XVI.

Hiſce accedit, quod ſanguis copia peccans, cum ob ſublatum inter ſolida & fluida æquilibrium neque vegete propulſari, neque ſufficienter ac debite ventilari queat, ſucceſſive ſpiſſitudinem & acrimoniam contrahat; Uti hoc ratione æque atque experientia luculentiſſime probari poteſt. Ex phyſica enim naturæ fluidorum conſideratione notiſſimum eſt fluida quælibet potisſimum gelatinoſa, cujus indolis imprimis corporis noſtri fluida exiſtunt, quo lentius curſu procedunt, eo citius atque facilius concreſcere atque coagulari. Alterum igitur exinde ſanguinis vitium conſurgit nimirum ſpiſſa & acris ejusdem indoles, qua præſente frequentes poſtea ſtaſes fibrarum vellicationes & ſpaſticæ conſequenter earundem ſtricturæ contingunt. Fluidorum enim ſtaſes, ſpaſticas ſolidorum conſtrictiones, & hæ vice verſa fluidorum ſtaſes, & motus irregulares producunt, ita ut altera alterius ſemper reciproca exiſtat cauſa. Rationi enim & experientiæ exiſtit conſentaneum, intercepto in ramulo aliquo fluidorum curſu, eadem cum neque progredi queant ob vias per obſtructiones præcluſas, neque recedere ob particularum inſequentium preſſionem atque impulſum, cedere preſſa ad latera vaſorum, & iſtorum, cum ſphæricæ ſint figuræ tunicas & membranas ſolito fortius quaquaverſum diſtendere, atque vicinas ac ſibimet contiguas ideo cavitates adeo comprimere, ut neceſſario, non tantummodo coanguſtentur, ſed fibræ etiam ſpaſtice criſpentur

atque constringantur. Unde duplici modo, cum utrumque in nostro affectu in pulmonibus contingat, bronchiorum & vesicularum coarctationes producuntur & liberior atque sufficiens aeris ingressus impeditur. Præterea quoque notandum est, fluida in cursu suo in uno ramo impedita copiosius determinari ad ramulos alios, eosdemque, cum tantam recipere nequeant sanguinis molem, distendere, & per consequens etiam hoc modo bronchiorum &c. coarctationem vel per se, mediante spastica fibrarum constrictione efficere. Interim tamen spastica hæc constrictio frequenter etiam a sola producitur sanguinis acrimonia, quæ, licet nulla præternaturalis adsit copia, vellicat & irritat fibras, ut sese fortius crispando ac contrahendo bronchia & vesiculas pulmonales coarctent & difficilem proinde efficiant inspirationem &c.

§. XVII.

Ultimo demum tertium considerandum restat sanguinis vitium, quod consistit in irregulari ejusdem motu, eoque vel languido nimis, vel celeri ac impetuoso. Celeritate nimia naturale turbat & auffert inter inspirationem & exspirationem æquilibrium, ut citatior semper observetur & facilior exspiratio, quam inspiratio; stases quoque facillime producit; siquidem sanguis, quando vel ob vitium proprium nimirum ebullitionem & rarefactionem, vel elaterem solidorum præternaturaliter exaltatum, cursu velociori ac præcipitanti per vasa pulmonalia fertur, ob rarefactionem majus non tantummodo affectando spatium vasa distendit, uti hoc observamus in febribus ardentibus & fortius currentibus, sed globuli etiam sanguinei majores ob pressionem a tergo insequentium validiorem facile mino-

nori-

noribus intruduntur vaſculis, quorum diametri intruſorum globulorum diametris minime reſpondent, & ſtaſes ideo, obſtructiones & conſequenter coarctationes bronchiorum efficiunt. Tarditas motus ſanguinis, licet quidem per ſe neque ſtaſes, neque diſtenſiones efficiat, cum tamen partim de humorum copia & craſſitie, partim de debilitato ſolidorum elatere teſtetur, atque humorum ſpiſſitudinem adaugeat, eandem ex cauſarum numero plane ejiciendam eſſe haud arbitror.

§. XVIII.

Prædicta autem ſanguinis & fibrarum vitia non per ſe oriuntur, ſed alias ſemper cauſas prægreſſas occaſionales, procatarticas dictas præſupponunt. Ex hisce primum merito obtinent locum cauſæ nonnaturales, quæ in certa aeris ambientis conſtitutione reſpectu gravitatis & temperiei, alimentorum ac potulentorum indole, motus, quietis, ſomni, vigiliarum, nec non Animi pathematum, & evacuationum naturalium exceſſu vel defectu conſiſtunt. Ex iſtis autem primo loco memorandus venit aer, qui vel levitate aut craſſitie nimia, vel intemperie calida, humida & frigida ad noſtri morbi & vitiorum ſupra memoratorum geneſin & augmentum conferre ſolet, quatenus ob levitatem nimiam bronchis ac veſiculis coarctatis expandendis eo minus ſufficit; ſiquidem notum eſt, in montibus altioribus, quales v. g. ſunt mons Pico in Inſula Teneriffa, montes Carpathici & Andes in America &c. homines itidem ob aeris tenuitatem ac levitatem ſuffocationis incurrere periculum, niſi cito deſcendant. Æquilibrium enim inter aerem internum in ſanguine & externum auffertur, ita ut externus levior pulmones ingreſſus ob

crassioris in sanguine resistentiam majorem, eosdem sufficienter expandere & sanguinem propellere nequeat. Interim tamen etiam aer nimis crassus transpirationem impediendo, humorum augendo copiam & acrimoniam, atque circulum eorundem turbando noxam adfert. Ob intemperiem vero calidam sanguinem rarefacit, ad præternaturales ebullitiones disponit, & serum blandum dissipando nimis, concentrando contra partes acres & activas, acrem reddit, & fibras constringit; ob intemperiem frigidam partim transpirationem impediendo, impuritatum in sanguine præstat accumulationem, atque fluida coagulat, partim inducta solidis in ambitu exteriori constrictione copiosius fluida repellit ad interiora. *Vid. D. D. Hambergeri Diss. de Frigore morbifico.* Ob humidam denique intemperiem solidorum relaxat elaterem, unde fit, ut fluidorum motus ob impulsum debiliorem fiat languidior, eademque successive spissescant. Alimenta copiosiora & nimis nutrientia in sanguineis subjectis plethoram adaugent, siquidem nimia alimentorum adsumtio, teste Hippocrate, semper noxia censenda est, Aphoris. enim 17. Lib. 2. inquit: Ubi nutrimentum ultra naturam capitur morbum facit, &c. Acria, aromatica, acida, viscida, fumo indurata, flatulenta, potulenta spirituosa, nimis fermentantia &c. partim cruditates in ventriculo, flatus in intestinis, viscidum in sanguine generant, partim sanguinem rarefaciunt, præternaturaliter commovent, & fibras spastice crispant, atque multiplici hoc modo futuri asthmatis rudimenta ponunt, vel jam præsenti incrementum addunt. Motus excedens ac fortior humores potissimum abundantes nimis commovet, deficiens vero eosdem incrassat, len-

tos & ad motum ordinarium ſubeundum ineptos reddit. Par ratio eſt cum vigiliis & ſomno immoderatis; Vigiliæ enim diu protractæ fluidis in principio excedentem rarefactionem, poſtea vero conſumtis & difflatis partibus activioribus & ſubtilioribus craſſitiem, ſolidis vero ſucceſſive atoniam inferunt. Animi pathemata conſuetos & ordinarios naturæ limites transgreſſa, & quidem ſolidorum æque ac fluidorum elaterem vel nimis exaltando, ut ira, vel nimis deprimendo, ut terror, triſtitia, mœror, prædictis ſanguinis vitiis eorundemque geneſi occaſionem præbent. Ultimo tandem ex cauſis nonnaturalibus notandæ veniunt Excretiones ſanguineæ potiſſimum conſuetæ & naturales vel plane ſuppreſſæ, vel inſigniter tamen imminutæ. Vid. *D. D. Præſidis Pathol. Med. Sect. 2. de Hæmorrh. in genere potiſſ. §. 36.* Quibus tractationis ergo hic jungendæ ſunt evacuationes artificiales neglectæ v. g. Vſectio, Scarificatio &c. Hinc etiam obſervamus, quemcunque ferme ægrotum aſthmate ſanguineo-ſpasmodico correptum, vel conſuetam ac certis temporibus inſtitutam neglexiſſe Vſectionem, vel ſi ſexus ſit virilis, narium hæmorrhagiæ, aut hæmorrhoidum, ſi ſexus vero muliebris menſium aut lochiorum ſuppreſſione plenaria, aut parco & inordinato fluxu laborare. Conſuetis enim hiſce ſanguinis evacuationibus vel ſuppreſſis vel neglectis ſanguis præter modum accumulatur, ut non tantummodo in toto corpore naturale inter ſolida & fluida aufferatur æquilibrium, ſed in diverſis etiam partibus potiſſimum membranoſis, atque vaſis exilibus præditis ſtaſes, obſtructiones, diſtenſiones, & ſpaſticæ oboriantur conſtrictiones. Huic accedit, quod ex ſanguinis abundantia paulo poſt etiam ejusdem ſpiſſitudo

tudo resultet & acrimonia. *Vid. Excell. D. D. Hoffmanni Med. Consult. Tom. I. Decad. 2. Cas. 2.*

§. XIX.

Ex præternaturalibus denique Caussis præ cæteris ad Asthma sanguineo - spasmodicum producendum huc spectant malum Hypochondriacum in viris & passio hysterica in fœminis, quæ duo mala sanguinis exsuperantis & crassioris per vasa ac viscera infimi ventris, potissimum mesenterium, hepar & lien circulum impeditum, stasin in partibus membranosis, & spasticas exinde obortas adfectiones præsupponunt; hinc intellectu facillimum est, duos hosce adfectus per fibrarum nonsolum consensum, sed vasorum quoque communicationem, sanguinis congestionibus versus pulmones & pectoris partes nec non spasticis ibidem fibrarum stricturis consensualiter etiam producendis adprime existere idoneos.

§. XX.

Notatu quoque dignum est vehementioribus doloribus colicis & nephriticis in subjectis plethoricis sæpissime hujus in pectore mali genesin in acceptis ferendam esse, quatenus sanguinem per spasticas constrictiones versus superiora propellunt. Siquidem juxta adsertum „Excell. D. D. Hoffmanni: ea doloris vehementioris indo„les ac vis est, ut spasmis liberiorem sanguinis circuitum „per venas maxime impedientibus cum impetu ad alia in„congrua loca copiosum sanguinem nonsolum adducat, „sed convulsivos etiam excitet motus *Vid. Diss. Ejusd. de Dolore ex Calculo Renali §. 28.* Veritati hinc consonum est, morbos infimi ventris quoscunque, qui vel a spastica fibrarum constrictione, vel impedito sanguinis copiosioris,

circu-

circulo dependent, ad Aſthmatis ſangineo-ſpasmodici productionem conferre, vel augmentum. Quare hic etiam notanda eſt colica hæmorrhoidalis cujus exemplum notatu dignum legi poteſt in citati *Excell. D. D. Hoffmanni Medicina Conſult. Tom. I. Decad. 2. Caſ. 1.* Notandæ quoque ſunt ſpaſticæ adfectiones muſculorum intercoſtalium, diaphragmatis, &c. Nec ultimo ſilentio plane prætereundæ ſunt polypoſæ concretiones in vaſis pulmonum, ſcabies retropulſa, ulcera diu manantia ſubito conſolidata & alii prægreſſi affectus præternaturales, quos tamen, cum magis ad alios aſthmatis ſpecies producendas conferant, lubens prætermitto.

§. XXI.

Ex naturali autem diſpoſitione præ reliquis huic Aſthmatis ſpeciei obnoxia ſunt ſubjecta, prædita Temperamento ſanguineo, vel ſanguineo-melancholico, vel ſanguineo-cholerico; ſiquidem in omnibus hiſce ſanguinis abundantiam, & junctam eidem utplurimum vel ſpiſſitudinem vel acrimoniam & fibrarum vel teneritudinem vel ſtricturam deprehendimus. Familiarior tamen præ omnibus aliis hic adfectus eſt Temperamento ſanguineo præditis, quoniam inſigniori præ ceteris ſanguinis abundantia & habitu corporis laxiori gaudent. Corporis proinde habitus, ætas & ſexus ſuum quoque conferunt ſymbolum. Siquidem practicæ teſtantur obſervationes, hoc adfectu utplurimum corripi homines juniores, & in ætate vegeta adhuc conſtitutos, habitus corporis ſpongioſioris atque obeſioris, texturæ tenerioris, atque ſexus ſequioris, qui multum ſanguinis in venis alunt, & varias proinde ſanguinis ſuperflui experiuntur evacuationes periodicas; quæ

quamdiu debita quantitate, debito tempore ac ordine succedunt, nihil noxæ a sanguinis sui copia, per excretiones prædictas statis temporibus imminuta, persentiunt. Quamprimum vero istæ redduntur irregulares, vel plane supprimuntur præsto adsunt varii motus inordinati in toto corpore, stases, congestiones ad loca incongrua, & spasticæ fibrarum constrictiones. Aliquam quoque in vitæ genere ad hunc morbum dispositionem quærendam esse extra dubium existit; siquidem homines, qui vita fruuntur sedentaria, otio marcescunt, & parum moventur, nec non lautiori præterea indulgent victui, superfluum & crassum generant sanguinem, unde fit, ut stasibus & spasmis deinceps quam maxime reddantur obnoxii. Nec dispositio hæreditaria plenarie quoque excludenda est; Aliquot mihi enim notæ sunt familiæ, quibus adeo familiaris existit asthmaticus morbus, ut pauci ab eodem vivant immunes.

§. XXII.

Ex posita nunc causa Asthmatis Sanguineo-Spasmodici primaria, nec non causis ejusdem occasionalibus insimul recensitis, quælibet Symptomata huic Asthmatis speciei familiaria, quæque in casu præmisso annotantur, deduci & explicari possunt; Siquidem cuncta in excedente sanguinis abundantia ac spissitudine fundamentum habent, nec non in spasticis pectoris constrictionibus a duplici hoc sanguinis vitio dependentibus, & sublato inter fluidas & solidas partes æquilibrio. Siquidem gravitas & stupiditas capitis solummodo dependet a copiosiori sanguinis congestione versus superiora, atque impedito paululum ejusdem progressu per vasa cerebri exilissima; Tinnitus

iti-

itidem ſtaſi & languidiori ſanguinis curſui tribuendus eſt, unde viſcidi impuri ac flatuoſi humoris in auris cavitate interna ſecretio major, ejusdemque reſolutio per calorem in halitus flatulentos, qui tympanum deinceps allidentes, ejusmodi in illo excitant commotiones tremulas, quæ ad animam rationalem per reliqua auditus organa ac nervos delatæ, eidem tinnitus ideam ſiſtunt. Reſpirationem ſonoram & difficilem in inſpiratione potiſſimum læſam, partim a ſublato æquilibrio inter aerem externum expandentem & pulmones expandendos, partim a viarum coarctatione & inæqualitate dependere certum eſt. Sublatum hoc æquilibrium, & viarum coarctatio unice pro cauſa agnoſcunt, ſanguinem copia, ſpiſſitudine & acrimonia peccantem, nec non ſpaſticam inde productam fibrarum ſtricturam. Hoc modo enim vaſa bronchialia & membranaceæ pulmonum veſiculæ, non tantummodo coanguſtantur, ſed vaſorum etiam reſiſtentia ab aeris pulmones ingreſſi preſſione perfecte ſuperari nequit, hinc exſpiratio ſemper redditur citatior, anheloſa, & ob bronchiorum inæqualitatem ſonora. Ratio autem, quod noctu ægro in lecto decumbente ſpirandi difficultas incrementa capiat, in poſitu corporis mutato potiſſimum quærenda eſt: Die enim ægrotantis corpus in erecto conſtitutum eſt ſitu, hinc ſanguis ob adſcenſum perpendicularem tanta copia ab inferioribus propelli nequit verſus ſuperiora; noctu vero ob ſitum corporis inclinatum & maxima ex parte horizontalem, fluida ex partibus inferioribus majori copia & impetu feruntur verſus ſuperiora hinc major fit pectoris oppletio, atque diſtenſiones & ſpaſmodicæ conſtrictiones augentur, & per conſequens quoque

respirationis difficultas: Aucta etenim causa, augetur quoque effectus, & vice versa. Aliquid quoque fortiori aetheris pressioni tribuendum est, qui ob motum noctu minorem gravior redditur. Tussicula conjuncta producitur potissimum a bronchiorum inaequalitate & constrictione, hinc etiam utplurimum sicca deprehenditur, subinde tamen etiam ob lentiorem fluidorum cursum & stases, viscida quaedam in glandulis secernitur materia, quae mole & acrimonia tunicae nerveae bronchiorum & asperae arteriae molesta, eorundem irritando efficit contractionem, & tussim simul excreta humidam. Ob sanguinis stases & violentas vasorum distensiones ita quandoque laterales pori dilatantur, ut aliquid successive exstillare permittant sanguinis, unde fit, ut materia excreta rubris deinde striis ac micis notata observetur. Ex hoc fundamento quoque malo aucto haemoptyses, effusiones & collectiones sanguinis in pectoris cavitate explicandae sunt, si sint minores, sin vero graviores, vasculi minoris disruptionem praecessisse censendum est. De sanguinis stasibus, distensionibus & irritationibus testimonium quoque adferunt spastici dolores in spina dorsi, hypochondriis, & abdomine &c. in qua lien potissimum ob multitudinem & mirificum vasorum sanguiferorum subtilium contextum prae caeteris infimi ventris visceribus obstructionibus existit obnoxius, licet reliqua viscera potissimum mesenterium non excludenda sint, uti hoc confirmant dejectio appetitus, dysuria & subinde contingens mictus cruentus, quae ultimae adfectiones de spastica strictura etiam in renibus sese exserente, stasi itidem & praeternaturali pororum lateralium dilatatione testantur. Taceo vomitus cruentos aliaque,

quae

quæ ex una eademque pullulant radice. Artuum denique gravitas & totius corporis laſſitudo a ſublato etiam in toto inter partes ſolidas & fluidas æquilibrio ob craſſitiem, copiam & languidiorem progreſſum dependere cognitu facillimum eſt. Reliqua, quæ explicanda reſtant ſymptomata lubens prætermitto, nulla enim, cum ex uno eodemque prodeant fundamento, explanatione indigere videntur.

§. XXIII.

Ratione Prognoſeos tandem notandum eſt, malum hoc mitius exiſtens minus inferre periculum, diu tamen ſubinde durare, & merito inter chronicos morbos referendum eſſe, imprimis, quando fluidorum vitiis præternaturalis ſolidorum laxitas & atonia juncta deprehenditur, aut contumaciores excretionum ſanguinearum obſtructiones geneſi ejusdem anſam præbent. Gravius vero periculum infert inſigne, ſiquidem facillime in Orthopnœam & Catarrhum ſuffocativum tranſiens ſuffocationem efficit, vel tamen niſi cito adferatur medela, minatur. Dyſpnœa enim diu trahi poteſt; Aſthma aliquando; Orthopnœa vero acuta eſt. *Vid. Schmitzii Comp. Prax. de Aſthm.* Facile quoque degenerat in Hæmoptyſin, Vomitum cruentum, Apoplexiam ſanguineam, Hydropem pectoris & abdominis, Tumorem pedum, Cachexiam, Peripnevmoniam, Empyema, Mictum cruentum &c. Periculoſius quoque exiſtit in obeſis, & puerperis, ſi poſt ſuppreſſum lochiorum fluxum iisdem ſuperveniat. Polypoſæ quoque in vaſis pulmonum concretiones ſanationem reddunt difficiliorem, vel ſubinde plane irritam & impoſſibilem. Conſuetæ contra excre-

ctiones ſanguineæ antea ſuppreſſæ, ſi rurſus fluere incipiunt, morbum ſolvere, vel mitiorem tamen reddere ſolent. Recens & mitius hujus generis Aſthma facta ſanguinis copioſioris depletione & ſpiſſioris atque acrioris reſolutione ac correctione facilius tollitur; Gravius & habituatum vero difficilius; ſiquidem tonum pulmonum deſtructum præſupponit, qui reſtitui tam facile nequit; hinc licet paroxyſmus quidem facta ſanguinis depletione & ſtagnantis diſcuſſione ſolvatur, facile tamen iterum ob ſolidorum atoniam redit. Quamobrem Prognoſis in hoc morbo ex Symptomatum, & Cauſarum, natura, ac magnitudine, nec non durationis tempore, atque morborum complicatorum indole ſingulis prope penſitatis formanda eſt, ne imprudens eadem aut falſa exiſtat.

§. XXIV.

Cognita nunc morbi indole cum ſuis cauſis & ſignis, adhuc primario ab ægris deſiderata ejusdem reſtat Curatio, quæ ſi ſuſcipi debet in noſtro adfectu, quælibet eo dirigenda ſunt, ut cauſa mali in vitioſa ſanguinis quantitate & qualitate, nec non ſpasmodica fibrarum conſtrictione a ſanguine peccante potiſſimum producta conſiſtens auferatur. Quare præ cæteris huic fini inſervit ex Evacuantibus VSectio pro circumſtantiarum varietate modo in brachio, modo in pede inſtituenda. Optimum enim illa in noſtro morbo exiſtit remedium, quod præ omnibus aliis promptum in paroxyſmo ſpondet auxilium; ſiquidem ſtaſes cito ſolvit, ſolidorum ſtricturas præternaturales relaxat, & ſanguinis abundantiam imminuit. Sed largior paulo convenit, vel tamen repetenda eſt. Quantitas autem in genere exacte determinari nequit, reſpicien-

ciendum etenim eſt, partim ad plethoræ gradum, partim ad vires ægrotantis, quæ non ex Symptomatum vehementia æſtimandæ ſunt, ſed quales ante morbi invaſionem fuerint, videndum. In ſpecie autem VSectio neceſſaria atque utilis exiſtit, ſi narium hæmorrhagiæ, menſium aut hæmorrhoidum obſtructiones huic adfectui occaſionem præbuerunt. Commendantur quoque Cucurbitulæ ſcarificatæ modo in dorſo & brachiis, modo circa regionem renum & in pedibus applicandæ. Hæ minorem quidem ſanguinis copiam evacuant, in ſubſidium tamen interdum vocari poſſunt. Si hæmorrhoidum vero ſuppreſſio Aſthma hoc produxerit, hirudines applicari queunt, ut hæmorrhoidum fluxus revocetur. Veſicatoria & Cauteria in tibiis excitata in Aſthmate magni quoque uſus eſſe prædicantur, ſed an etiam in noſtra aſthmatis ſpecie multum utilitatis adferant haud concipio; non evacuant enim quod evacuare debent, niſi forſan, ut cum vulgo loquar, revulſione agant. Silentio quoque non prætermittenda ſunt Clyſmata ex Emollientibus parata, v. g. ex Rad. alth. lil. alb. Hb. malv. atripl. mercurial. Flor. Sambuc. Verbaſc. & in ſpecie Chammomill. Caric. pingv. cum aqua ſimpl. coct. addito deinceps oleo amygdal. dulc. & nitr. antim. vel lap. prunell. &c. Hæc impuritates non tantummodo ex primis viis potiſſimum inteſtinis educunt, ſed ſolidorum etiam ſtricturas relaxant.

§. XXV.

Ab Evacuantibus provehimur nunc ad Alterantia. Ex quibus primario notanda ſunt 1) Antiſpaſmodica, Emollientia, v. g. Sperm. ceti vel pulverib. mixtum, vel in Infuſo Hbæ Thée calido ſolutum. Optime quoque cum

oleo

oleo amygdal. dulc. miſceri poteſt, addita deinceps pauca quantitate pulv. cujusdam pectoralis temperati & antiſpaſmodici, v. g. Specif. cephal. Michael. pulv. pann. rubr. lap. 69. ppt. mandib. luc. piſc. antim. diaph. cinnab. hung. ppt. ut quaſi fiat Electuarium. Præter dicta porro huc pertinent juſcula avenacea tenuiora imprimis cum Chamomill. vel caric. pingv. cocta, Eſſ. Croc. doſi refracta reliquis addita. Locum ſecundo habent, potiſſimum ſi ſanguinis acrimonia, ebullitio, & irregularis ac febrilis fere adſit commotio 2) Abſorbentia ac Temperantia, nec non Diluentia, v. g. lap. 69. mat. perlar. ppt. C. C. ſine ign. ppt. mandib. luc. piſc. corall. rubr. ppt. nitroſa v. g. nitr. antim. depurat. ſpir. nitr. dulc. qui præter temperandi virtutem inſigni quoque virtute diſſolvente & antiſpaſmodica gaudet; nitroſa quidem in morbis pectoris cum tuſſi conjunctis rejiciuntur a quibusdam, ſed cum eadem in noſtro adfectu optime reſpiciant cauſam, major cauſæ quam Symptomatis, niſi inſigniter urgeat, ratio habenda eſt: Sublata enim cauſa tollitur quoque effectus. Diluendi fine porro huc ſpectant ſerum lactis, quod non ſolum diluit, ſed etiam temperat & ebullitiones ſiſtit, item Decocta ex temperatis reſolventibus parata, v. g. Decoct. hord. c. ſcorz. rad. Gramin. Saſſaparill. Chin. Glycirrhiz. Hb. Marrub. alb. Veron. Beton. Meliſſ. Hyſſop. &c. Flor. Hepat. nob. Chamomill. Sambuc. Cort. citri, aurant. pauca quantitate addito Lign. Saſſafr. potiſſimum ſi ſemper ferme complicata ſanguinis ſpiſſitudo præſens ſit. Majori quoque acrimonia, quam ſpiſſitudine præſente exhibendæ etiam ſunt Emulſiones ex Sem. 4. frig. major. amygdal. dulc. cum aqu. deſtill. temperantibus paratæ, v. g.

aqu.

aqu. Acaciæ, Scorzon. Cerasor. nigr. Sambuc. &c. It. Potiunculæ ex dictis aquis & absorbentibus concinnatæ. In subsidium 3) vocanda sunt Leniter Resolventia, temperata Diaphoretica & Antispasmodica Roborantia. v.g. arcan. dupl. tart. vitr. Crem. & Cryftall. tartar. Eff. G. ammon. pulv. Bez. Sennerti Antim. diaph. Bez. min. Eff. angel. Vincetox. Rorellæ &c. Eff. Cort. citri & aurant. Tinct. antim. tartar. Corall. Cinnab. nim. cinn. nat. hung. ppt. antim. Specif. cephal. Michael. Pulv. pannon. rub. Cran. hum. ungul. alcis C. C. sine ign. ppt. &c. Siquidem Excell. D. D. Hoffmanni aliorumque multorum sententia est, quod omnes animalium partes tam duræ quam liquidæ insigni virtute antispasmodica gaudeant. *Vid. Diss. de Specif. Antispasmod. §. 3.* Semper autem in applicatione horum Medicamentorum ad sanguinis statum respiciendum est, ne intempestive adhibeantur & paululum calidiora semper cum temperantibus miscenda sunt, potissimum si ebullitio & acrimonia in sanguine adsint. Externe præ cæteris conveniunt frictiones pedum & Pediluvia ex Chamomill. flor. Sambuc. Hb. Serpill. additis cineribus clavellatis, ut adfluxus sanguinis a pectore derivetur versus inferiora.

§. XXVI.

Pectoris autem non solummodo affectionis, sed etiam morborum complicatorum, qui plerumque hunc morbum produxerunt, vel adhuc fovent, ratio habenda est; Quorsum potissimum spectant Mensium, Lochiorum, Hæmorrhagiæ narium, Hæmorrhoidum

E flu-

fluxus irregulares & obſtructiones, nec non paſſio hyſterica & hypochondriaca; Horum quoque adfectuum correctio & remotio inſimul ſuſcipienda eſt, & cuilibet per appropriata, quæ alibi videnda ſunt, ſatisfaciendum eſt, ut liberior ſanguinis curſus reſtituatur, & ſpaſticæ avertantur conſtrictiones. Ne adfectus quoque potiſſimum quoad paroxyſmum ſublatus denuo recurrat, ſtatis temporibus præſervandi fine VSectio repetenda eſt, obſtructiones per prædictorum continuationem, atque alia aperientia temperata reſerandæ, & partium tonus per temperata quoque Roborantia reſtituendus eſt.

§. XXVII.

Neceſſario autem, ſi optatum a medicamentis chirurgicis & pharmacevticis ſperare volumus effectum, conveniens atque conformis jungenda eſt Diæta; licet eadem ab Helmontio fruſtraneo illo Medicinæ innovatore parum fuerit æſtimata, qui eandem Lib. de Victus ratione pro ignorantiæ cauſarum morbi, veræ Medicinæ & præpotentis remedii prodritice habet, atque ſolis medicamentis pharmacevticis morborum ſublationes tribuit; ſiquidem ibidem §. 4. inquit: Sanationes „ medicaminum ſunt, non ciborum effectus. Sed meri- „ to carpendus eſt ob abſurdum hoc de Diæta judicium; licet enim ſoli quidem diætæ non tribuantur morborum ſanationes, dimidium tamen curationis momentum in eadem legitime inſtituta ſitum eſſe nullus prudens negabit. Quare iſta in noſtro adfectu etiam ita dirigenda & inſtituenda eſt, ut cauſæ morbificæ contraria, medicamentis

mentis & naturæ autem conformis exiſtat. Conveniunt proinde aer temperatus ac purior, victus tenuis & parcior, potulenta vero largiora, itidem tamen tenuia, motus corporis lenis ac frequens, ſomnus moderatus, animi hilaritas, & evacuationum quarumvis debita libertas; Vitanda contra ſunt aer craſſus, gravis, calidus & frigidus nimis, alimenta craſſa, viſcida fumo indurata, flatulenta, leguminoſa, piſces marini & nimis quoque copioſa eorundem ingeſtio, hinc veſperi etiam, nihil vel parum adſumere præſtat, potulenta porro calida exagitantia, ſpirituoſa, acida, craſſa, feculenta, fermentantia, vinum acidum, ſulphure vero ſubtili fœtum non plane rejiciendum, Vigiliæ diuturniores, aut ſomni exceſſus, motus corporis fortior, otium nimium animi pathemata noxia tam concentrantia fluidorum & ſolidorum elaterem; quam expandentia nimis, ne humorum vel ſpiſſitudo, vel ebullitio augeatur. Præ cæteris autem in Aſthmate habituato, & inſigniter jam labefactato ſolidorum tono, *Baglivius in Prax. Med. p. 107.* in Operibus aerem ruſticanum &c. commendat, quando inquit: In diuturno aſthmate ſive humorali, ſive „ convulſivo aerem ruſticanum ægrotantibus impero, & „ potiſſimum, ut campos habitent, quos arant bubulci: „ Debet itaque aſthmaticus ſequi bubulcum, quando ter- „ ram arat, & incedere per ſulcum, ſive viam ab aratro „ recenter in terra factam, & aperto ore reſpirare aerem, „ ſive halitus nitro-ſalinos ac ſulphureos a recenter „ ruptis terræ glebis prodeuntes: Tonus pulmonum lon- „ go morbo relaxatus nitro-ſalina centralis terræ caloris „

ſub-

ſubſtantia roboratur, confirmatur ac reſtituitur, eoque reſtituto, circulus quoque liquidorum per pulmonum telas in libertatem ponitur, morbusque profligatur. Ex medicamentis denique tanquam noxia vitentur omnia calida, acria, exagitantia, purgantia emetica, ſudorifera ſpirituoſa, narcotica quoque opiata; quæ incraſſando majori humorum ſpiſſitudini anſam præbent, &c. nedum prodeſſe volumus, noceamus.

TANTUM.

